

doctrina de proportione absoluitur. Et in citationibus e Geometria, aut quacunque disciplina Mathematica alia petendis, semper ad Cel. Wolffii Elementa Math. qui liber notissimus est, prouocare mihi licebit.

PROBLEMA I.

§. 12. *Artem altimetriae ad omnimodam certitudinem, ita, ut omnis erroris expers sit, perducere.*

SOLUT. 1.) casus occurrentes scite probeque considera & distingue, nec non quae cognita te ad ignota perducere possent meditare, 2.) regulas in singulis casibus obseruandas familiares habeas 3.) ad demonstrationes, quae e circumstantiis singularioribus formandae, respicias, & 4.) altitudinem desideratam variis modis quaeras, demonstrationibus conformiter. Quodsi 5.) altitudo eadem variis modis quaesita prodit quae demonstrari posset, habebis q. i.

DEM. Regulae omnes id volunt, vt demonstratio detur in quolibet casu & vt experientiae leges obseruentur. Per demonstrationes & experientias errores euitamus (§. 10.). Ergo qui ad praescriptas attendit regulas artem altimetriae ab errore immunem reddit q. e. d.

COROLLARIUM.

§. 13. Cum sine attentione, reflexione, acumine, scientia, soliditate, arte inueniendi, uno verbo, intellectus cultura, Philosophia, nec probe considerari, nec distingui, nec demonstrationes confici aut concatenari, nec ignota ex cognitis deduci queant, quod notionum harum gnarus mihi concedet facile, non solum sequitur attentioni, reflexioni, acumini, in genere, intellectui perficiendo, Philosophiae esse studendum, antequam de perficienda Altimetria cogitemus; sed etiam ratio iam patet, cur non omnes practici, errores possint euitare (§. 6.). Imo motuum nouum habemus, quo minus vulgari rerum cognitione contenti simus. Semper ad altiora, ad philosophicam, ad mathematicam